SUPER FUNUS IMMATURUM

INGENUÆ ET LECTISSIMÆ FÆMINÆ SOPHIÆ CAMERARII UXORIS

dum vivebat Dulcissimæ

CLARISSIMI ET CONSULTISSIMI VIRI Dn. THEODORI PLONNIES

J. U. DOCTORIS AULÆ AC CONsistorij Stetinensis Consiliarij Dignissimi Abitum & obitum abreptæ COSTÆ

Postquam felici partu III. Non Septemb. liberata, Marito Pignus, IV. vero Idus ejusdem, Deo immortali animam, & XVII. Cal. Octob. Matri Terræ Corpus depositum commisit,

Affectu maritali suspirantis
DOLORES
AMICORUM COMPATIENTIUM.

STETINI Typis Samuelis Kelneri, Anno 1614.

CLARISSIMO ET CONSVL-tissimo Viro Dn. THEODORO PLONNIES J. U. D. Consiliario aulæ, & Consistorij Sed. dignissimo, Dno. Adfini & collegæ plurimum colendo lugenti obitum conjugis charissimæ.

HEu THEODORE tuæ defles pia lucta SOPHIÆ,
Et solatiolum, mi THEODORE, petis.
NOSSE DEUM, BENE POSSE MORI solatia multa,
Plus solatioli MAXIMUS ille dabit.

Georg. Valentin. Winter, D.

ALIVD.

Quàm jucunda tibi fuit ac voluptuosa,
CAMERARI SOPHIA altera GRA-
TIARUM ut illa,
HENRICO patre, (Lampade juris, immò Ocello
Illo Justitiæ, ubi vixit; ROSARUM in almâ
Scholâ) volente, tibi gratiosa Amoris
Jungebatur AMICULA conjugalis, UXOR:
Lux tàm mœsta hodie est tibi tamq; luctuosa,
Quâ disjungimini; revocante nempe JOVA,
Annos aliquot quod dedit usui venustum,
Non mancipio, tibi Mutuum; APPOLONI.

Seipsum gravis; Parturientis & maritæ
Equidem amissio; Missio dura FILIABVS
Teneris: Heu! Dolor. At præeunte eam RACHELE,
BEN-ONI pararat moribunda cum JACOBO,
Lassu te exue cordifrago MARITE mærens.
Peregrinatio vita hodierna, Fixa nunquam
Mansio, continuus quoq; cursus est ad unam!

Felix, qui spacia aspera lætiore vincit
Breviorique gradu miserabilis malorum

Semitæ

Semitæ, & exilÿ à PATRIA periculosi.
Vita altera, vita aurea, vita vera vitæ!

Condolentiæ testandæ g.

M. Balth. Setzer/*P. C. Cæs. Reip. Stet, Senat. fundebat.*

ALIVD.

CLaris clara parentibus, marito
Claro, moribus integris, venustâ
Formâ, dote gravi, bonisq; summis,
Queis corpusq; animusq; sat beatur,
Eheu morte cadit! jacet perempta!
Ergo, quisquis es, heus, memor caducæ
Sortis disce mori: haud opes, nec annos,
Nec stemma enumeres, ÿsq; fidas.
His si lanificæ Deæ valerent
Vinci, vinceret hæc, jacere victam
Quam cernis, tereretq; humum, terenda
Huîc quæ nunc dabitur. Rosas sepulchro
Ferto ejus, rosa quæ recens virebat.

M. Heinr. Kielmannus.

ALI-

ALIVD.

NEquaquam Sophiam perîsse credam.
Pars visceribus super mariti est,
In Cælô altera vivit; atq; terris
Pars vilissima conditur, quæ & ipsa
Certô tempore stat resuscitanda,
Et cum mente iterum unicâ unienda,
Cum Censorius institutus olim
Dies is fuerit. Proinde Plönni,
Plönni, qui Sophiâ clues ab ipsâ,
Plönni, pars Sophiæ cluens & ipse,
Nequaquam Sophiam perîsse credas.

M. Caspar Khol.

ALIVD.

Fata manent omnes, duræ lex aspera mortis,
Solvere naturæ debita quemq; jubet.
Parcere Virtuti, Pietati, nescia mors est,
Omnibus est eadem mortis amara via.
Si Virtus, Pietas, conferrent præmia vitæ,
Compater excellens Ingenio & Genio,
Mortua non esset tua costa, at digna fuisset
In terris annos vivere perpetuos.

Nam

Nam virtutis erat cultrix, Pietatis amatrix,
Erga immortalem relligiosa DEum.
Nunc prostrata jacet, fatisq; erepta cruentis,
Conjuge te, Sobolem matre, carere facit.
Condoleo, tecum lacrymasq; profundo madentes,
Atq; tuam tristi lugeo mente vicem.
O funesta dies, tibi quâ, Clarissime Fautor,
Eripuit Sophiam mors inimica tuam!
Deploranda dies, nigroq; notanda lapillo,
Altera quâ tibi non tristior orbe fuit.
Sed quid flere juvat? quem mors semel abstulit atra,
Fletibus aut lacrymis non revocare licet.
Æthiopes, vel quos Patagonum regio nutrit,
In lusu & risu ponere summa solent.
Sunt alij gentes, Pietas queîs nulla DEusvè,
Hi deflere suos, at sine lege solent.
Lex alia est nobis, non hos imitabimur, in se
Qui præter formam nil hominis retinent.
Est equidem pietas deplangere morte sopitos,
Sed tamen hic planctus debet habere modum
Non videt æternam mortem, si quis benè vixit,
Æternùm moritur qui malè vixit homo.
Siste igitur lacrymas, tua, Vir Clarissime, conjunx,
Nunc sedet ad mensam, civis amica Dei.
Huc aspiremus quoq; nos: Convivia Divûm
Pinguia sunt: luctum nil nisi mundus habet.

Petrus Neomarcus.

